



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Breuiarius Moguntiu[m]

[Straßburg], [ca. 1500]

Jn tertio nocturno anti.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-31634**

celebretur. Deus enim omnipotens et clemens cuius natura hominis cuius voluntas potentia: cuius opus misericordia est statim ut nos diabolica malignitas veniens sue mortificavit invidie preparata renouandis mortalibus pietatis sue remedia inter ipsa mundi primordia presignauit Tu autem domine nostri miserere. **R.** Magni mysterium et admirabile sacramentum ut animalia viderent dominum natum. Facientem in presepio beata virgo cuius viscera meruerunt portare dominum christum. **R.** Domine audiui auditum tuum et timui consideravi opera tua et expaui in medio duum animalium Facientem. **Sermo beati fulgentii episcopi. Lectio sexta.** Cupientes aliquid de huius diei solennitate narrare simulque considerantes illud unum verbum de quo dicere volumus nulla inuenimus verba quibus sufficenter aliquid dicere valeamus. Est enim hoc verbum non quod desinit prolatum sed quod permanet natum non transitorium sed eternum; non factum a deo patre sed genitum; nec solum genitum sed etiam unigenitum. Unum quippe verbum deus pater genuit de seipso: per quod omnia creauit ex nihilo. In principio enim

erat verbum et verbum erat apud deum: et deus erat verbum. Hoc erat in principio apud deum. Omnia per ipsum facta sunt et sine ipso factum est nihil. In hoc autem quod per illud verbum deus pater omnia fecit ostenditur quia hoc verbum genuit ipse non fecit. Illud igitur verbum de deo deus est: de creatore creator est. Tu autem domine nostri miserere. **R.** Beata dei genitrix maria cuius viscera intacta permanent. Hodie genuit saluatorem seculi. **R.** Beata et venerabilis virgo quae sine tactu pudoris inuicta emat saluatorem. Hodie genuit saluatorem. Gloria patri. **Hodie. In tertio nocturno antiphona.** Veritas de terra orta est et iusticia de celo prosperit. **psalmus.** Benedixisti domine terram tuam. **Antiphona.** Homo natus est in eare ipse fundauit eam altissimus **psalmus.** Fundamenta eius in montibus sanctis. **Antiphona.** Reuerentur celi et exulter terra ante faciem domini quoniam venit. **psalmus.** Cantate domino canticum. **R.** Notum fecit dominus salutare suum In conspectu gentium reuelauit iusticiam suam. **In illo Secundum Lucam.** **I**n tempore Exijt edictum a cesare augusto ut describeretur vniuersus orbis Et reliqua. **Sermone beati gregorii pape**